

iam ille, qui recepit: novit etiam seraphicus ille spiritus, cuius ministerio hæc tanta gratia illi collata fuit. Ne autem hæc dignitas, adeo insolita & inaudita, incredibilis mundo esset, voluit idem Dominus ut in defuncto sancti viri corpore eadem sacra vestigia remanerent, ut ea omnes omnium ordinum homines, qui in ejus funere inventi sunt, aperte intuerentur, venerarentur, oscularentur, Deumque in sanctis suis non solum mirabilem, sed etiam amabilem prædicarent. Hæc enim sacra stigmata omnium aliorum miraculorum, quæ vir sanctus edidit, fidem faciunt: quandoquidem incredibile non est, minora illa Dominum præstitisse, qui tanto majora contulit.

Ut igitur finem principio jun-

gamus, has vos, fratres, viri sanctissimi virtutes, quas commemoravimus, ante oculos ponite; & quatenus cuique liceat, altissimam ejus humilitatem, plenissimam obedientiam, carnis macerationem, orationis studium, misericordiæ erga pauperes affectum, & jugem passionis dominicæ memoriam, quæ in beato patre potissimum eluxit, imitari studeatis. Quibus virtutum gradibus, si non expressam crucifixi Domini similitudinem in pedibus manibusque gestaverimus, at saltem ejus mortificationem in corpore nostro circumferentes, ad gloriosam ejus similitudinem, quæ in cælesti patria electis omnibus communicatur, ipso donante, atque iter nostrum bene fortunante, pervenire valeamus.



N



IN EODEM FESTO

BEATISSIMI PATRIS FRANCISCI

CONCIO QUARTA,

IN QUA CLARISSIMA EJUS ET INSOLITA
miracula, singulariaque privilegia, quibus eum
Dominus ornare dignatus est, explicantur.

THE. *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Psalm. LXVII. 36.

*** AM primum constat,
* J * dilectissimi, Deum
* * * in cunctis operibus
* * * suis esse mirabilem.

Verissime enim a propheta dictum est: (a) *a Solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* & (b) plenam esse terram omnem gloria ejus: atque hoc sensu propheta canit: (c) *confessio & magnificentia opus ejus*: quod videlicet omnia Dei opera magnificentissima sint, & quæ nos ad ejus gloriam confitentem & prædicandam invitent. Eademque de causa cum Deo loquens, (d) confessione atque decore illum indutum esse ait; quod videlicet quacumque ejus opera spectaveris, ad confitentem &

Tom. III.

celebrandam ejus gloriam, decorem & pulchritudinem excitaberis. Quamvis autem vere Dominus in cunctis operibus mirabilis sit, in sanctis tamen suis singulari quadam ratione mirabilior apparet; quoniam in ceteris quidem rebus ejus præcipue sapientia & potentia, in sanctis vero suis ornandis, & omni virtute cumulandis, non ista solum, sed etiam immensa ejus bonitas & caritas elucet, quæ ipsum non modo mirabilem, sed maxime etiam amabilem reddunt. Quam rem, ut alia exempla prætereamus, in beatissimi Francisci vita, singularibusque privilegiis, cernere licet; quæ talia ac tanta sunt, ut ipsi quoque, quem-

L

quem-

(a) Psalm. 112. 3. (b) Isai. 6. 3. (c) Psalm. 110. 3. (d) Psalm. 103. 2.

quemadmodum Domino suo, admirabilis nomen accommodari merito possit. De his igitur mirabilibus hodie dicturi, caelestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quamvis beatissimus pater Franciscus omni genere virtutum ita claruerit, ut si unquamque illarum sigillatim spectare velis, principatum inter omnes alias sibi vindicare videatur; certum tamen est, caritatem in Deum inter eas omnes principem locum tenuisse, a qua ceteræ vim atque dignitatem suam sortitæ sunt. Quocirca dignum profecto est, ut hoc ipso die, qui ejus laudibus consecratus est, vos omnes ad hujus virtutis studium ejus exemplo excitemus. Quum autem sint multa atque innumera, quæ nos ad Dei nostri dilectionem incitare possint; creaturæ quippe omnes, ut se a Deo hominum gratia factas esse testantur, ita homines ad ejus laudem & amorem invitant: ejus tamen immensa bonitas a nobis hoc præcipue exigit; quæ, quo major est, hoc majorem a nobis vim dilectionis requirit. Quia vero bonitatem hanc, quamdiu in hac

vita degimus, nisi per magnifica ejus opera, agnoscere non valemus; aliqua nunc bonitatis ejus opera vobis ante oculos ponam, quæ, diligenter expensa, non mediocriter ad ejus, ut puto, vos immensam bonitatem & agnoscendam & amandam inflammabunt.

Primum autem est opus creationis; in quo summus ille parens, qui in se ipso plenissime dives, & felix, & bonorum omnium compos est, nulla sua necessitate, sed sola bonitate, hanc pulcherrimam mundi machinam, & omnia quæ in ea sunt, tanta sapientia & providentia condidit, ut nulla in mundo creatura adeo exigua sit, non formica, non musca, non araneus, non vermiculus, cui non omnia, quæ vel ad vitam, vel ad vitæ jucunditatem pertinent, plenissime contulerit. Ea enim sapientia cunctarum animantium corpora & membra fabricatus est, eas omnibus propensiones & facultates ingeneravit, eas artes & vires contulit, quibus & suam, & filiorum suorum vitam tueri, & ab injuria vindicare possent. Quanta ergo illa bonitas, quæ se per omnia diffundit, quæ omnia, sempiterna providentia curat, quæ mi-

minimarum etiam rerum vitam & salutem non negligit, sine cuius voluntate ne passerulus quidem in laqueum cadit? Quam multæ sunt igitur in caelo, terra, mari atque aëre creaturæ, sunt autem pæne infinitæ; tot sunt divinæ bonitatis testes, tot voces, tot præcones, ac tot postremo ad eundem amandum stimuli & causæ. Hoc igitur primum divinæ bonitatis opus & argumentum est.

Secundum vero, quod longe mirabilius divinam bonitatem prædicat, altissimus finis est, cuius gratia hominem in hoc mundo condidit, nempe, ut suæ illum beatitudinis & felicitatis consortem efficeret. Quæ quidem dignitas etsi tanta sit, ut, excepta divini Verbi cum humana natura mirabili conjunctione, ne per divinam quidem sapientiam aut potentiam ulla major aut constitui aut cogitari possit; solus enim Deus natura beatissimus est, ei soli sua convenit beatitudo, qua se ipso, hoc est, infinito & universali bono, in quo sunt omnia bona, fruatur: ea tamen immensæ ejus bonitatis magnificentia fuit, ut noluerit solus his tan-

tis opibus atque delitiis frui; sed socios sibi angelos & homines adsciverit, quibus, quod sibi divinitatis jure proprium erat, communicaret. Hoc autem quid aliud fuit, quam homines Deos facere, dum illis, quod Dei proprium est, communicare voluit? Non enim alia Dei, alia angeli, alia hominis, sed una eademque omnium beatitudo est, quæ in aperta immensæ illius pulchritudinis contemplatione & amore consistit: quamvis plena ejus pulchritudinis comprehensio soli Deo reservata sit. Hoc est autem, quod Salvator noster significavit, (a) quum apostolis eorumque sectatoribus mensæ suæ convivium pollicitus est. In eadem enim cum illo mensa, eademque alimonia cum illo reficiendi sunt. Et quidem in regum mensis,* in quibus multi convivæ epulantur, singulare aliquod ferculum ceteris delicatius regi exhibetur: at in hac caelesti mensa commune superni regis & convivarum omnium ferculum est. Omnes enim beatissimæ Trinitatis contemplatione pascuntur, omnes eadem pulchritudinis specie beantur. Quanta ergo illa bonitas, quæ

(a) Luc. 22. 29.

villissimos, humique repentes vermiculos ad altissimæ divinitatis & felicitatis suæ confortium attollere dignata est? Hoc utcumque intelligi potest, verbis explicari non potest.

Tertium vero divinæ bonitatis opus, dominicæ incarnationis & passionis beneficium est: quod ideo Spiritui sancto tribuitur, cui bonitatis gloria adscribitur, quod videlicet hoc opus ab illo inexhausto divinæ bonitatis fonte manarit. Diximus enim, hominem a Deo ad suæ ipsius felicitatis confortium conditum fuisse. Ad hanc vero tantam gloriam idoneus mortalium nemo esse poterat, nisi qui divinæ puritatis imaginem in vita & moribus referret; ut is videlicet per similitudinem bonitatis ad felicitatis similitudinem perveniret. Quia vero ad hanc similitudinem consequendam nihil nos magis, quam incarnationis & passionis dominicæ sacramentum, juvare poterat; ea propter unigenitus Dei filius carnem sumere, & crucis supplicium subire misericorditer voluit, ut hanc in nobis divinæ bonitatis & similitudinis imaginem reformaret.

(a) Psalm. 18. 8.

Quantas autem bonitatis suæ opes in hoc beneficio ostenderit, ne omnes quidem hominum & angelorum linguæ explicare possent. Quocirca quod inexplicabile atque ineffabile est, silentio magis, quam infimo sermone, celebrandum est.

Veniamus ad quartum divinæ bonitatis opus: quod quamvis hoc superiori sit inferius, plurimum tamen convenit instituto nostro. Id autem est, a Deo latæ legis sanctitas; quæ, quoniam a divino pectore processit, quid in eo lateret, ostendit. Ut enim aquæ, saporem fontium, a quibus profluere, referunt; unde aliæ dulces, aliæ falsæ, aliæ calidæ, aliæ frigidæ sunt: ita lex divina, quæ a divino pectore tamquam a fonte manavit, fontis sui naturam & ingenium, ut ita dixerim, repræsentat. Ejus vero legis pulchritudinem ac sanctitatem multis nominibus, multisque verbis regius vates amplificat, quum ait: (a) *lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis, &c.* quæ longum esset persequi. Hæc ergo tanta divinæ legis æquitas, sanctitas, pulchritudo, suavitas, in qua

ni-

nihil non sanctum & justum, nihil non humanæ saluti accommodatum, nihil non purum & integrum, nihil quod non divinæ bonitatis & caritatis odorem spiret, non obscure, quale pectus illud sit, a quo tanta puritas emanavit, ostendit.

Sed operæ pretium erit videre, quemadmodum se legislator ipse cum his gerat, qui hanc ejus legem vel studiose servant, vel nefarie violant: hoc enim vel maxime nobis divinæ bonitatis naturam declarabit. Quo enim majoribus beneficiis legibus suis obsequentes, hoc est, bonos viros, ornaverit, majoribusque suppliciis improbos affecerit, hoc majora bonitatis suæ documenta & exempla constituet. Ab eadem quippe bonitatis radice & amore erga bonos, & odium erga malos proficisci, certissimum est. Ad utrumque autem explicandum fateor me plane infantem & elinguem esse, neque verba invenire, quibus utrumque explicare valeam. Quamvis enim ex literis sanctis constet, majorem esse Dei magnificentiam in bonis viris præmiandis, quam severitatem in malis puniendis; qui (a) facit misericordiam in mil-

Tom. III.

lia his qui ipsum diligunt, puniunt autem (b) fontes ad tertiam & quartam usque generationem: incredibile tamen dictu est, quomodo (c) impios & impietates eorum exsecratur, & qua severitate in illos animadvertat. Quod facile intelliget, quisquis sacras litteras ab ipso Genesis exordio, in quo primorum parentum transgressio & supplicium describitur, usque ad Joannis Apocalypsim, in qua novissimæ impiorum plagæ describuntur, attentius legerit. Quid hic prophetarum scripta? quid legis maledicta in legis transgressores commemorem? in quibus tot terrores ac minæ, tot maledictiones & plagæ proponuntur, ut ferreis etiam mentibus horrorem incutere possint. A quo autem fonte tot generis humani clades, tot fames & pestes, tot mortes & naufragia, tot provinciarum & regnorum vastationes, tot paricidalia bella, & diræ hominum strages, nisi a divini furoris ira & odio, quo improbos prosequitur, emanarunt? Hæc igitur improborum supplicia, quo magis divinæ justitiæ severitatem adversus improbos declarant, eo majorem divinæ bonitatis significationem

L 3

nem

(a) Exod. 20. 6. (b) Ibid. v. 5. (c) Sap. 14. 9.

nem dant : quoniam , ut modo diximus , ab eadem bonitatis causa erga bonos amor , & odium erga malos nascitur. Unde colligitur , eos , qui in divinorum iudiciorum contemplatione sapienter philosophari sciunt , non minus ad divinitatis amorem operibus iustitiæ erga improbos , quam misericordiæ beneficiis erga pios excitari ; ut est a nobis alio in loco fusius declaratum.

§. I.

Sed quoniam divinæ bonitatis magnificentiam magis in bonorum præmiis , quam in improborum suppliciis , ostendi diximus , hanc in primis expendere incipiamus. Ejus autem odorem quemdam percipiet , qui sanctorum vitas diligenter legerit , & in earum lectione , non tam quid ipsi propter Deum fecerint , quam quid Deus in eorum gratiam & honorem patriverit , studiose animadverterit. Sed quia ire per omnes sanctorum vitas longissimum , ac prope infinitum erit ; unum vobis Franciscum ante oculos ponam , & quibus eum Dominus privilegiis & favoribus ornaverit , aliqua saltem ex parte explicare contendam. Quisquis enim ejus vitam , quam sanctissimus

Bonaventura conscripsit , diligenter attenderit , inveniet plane , pulcherrimum quoddam certamen inter Deum , ipsumque Franciscum intercessisse. Vir enim sanctus Dei voluntatem omnibus in rebus exsequi nitebatur ; Deus contra sancti viri voluntati omnibus in rebus obsequabatur : ille abjectione sui , Dei gloriam fidelissime quærebat ; Deus contra servi sui honorem modis omnibus amplificabat : ille totus divinæ voluntatis obedientiæ traditus erat ; contra vero Deus creaturas omnes , atque adeo se ipsum , obedientem illi exhibebat : ille omnia propter Deum reliquerat ; at Deus omnia illi rursus centuplum aucta rependebat. Hoc ita esse , deprehendet quisquis , ut modo dixi , ejus vitam , & res ab eo gestas perlegerit. Nihil enim in ea non summum , nihil non novum & mirabile inveniet. Mirabilis ejus paupertas , mirabilis humilitas , mirabilis abstinentia , mirabilis dolorum patientia , mirabilis obedientia , mirabilis simplicitas , mirabilis mundi contemptus , mirabile atque indefessum orationis studium. Quid vero ejus caritatis ardor ? quid martyrii sitis , ex hac ipsa carita-

tate progrediens ? quid ordinis sui institutio ? quid in Solis splendorem transfiguratio ? quid prophetiæ spiritus , quo absentium facta , & mentium secreta , & futura multa prævidit ? quid prodigiorum atque signorum operatio ? quid creaturarum obedientia ? ac postremo , quod maxime mirabile est , quid gloriosa illa in ejus corpore stigmatum Domini impressio ? An non hæc omnia mirabilia , & supra communem hominum fidem posita sunt ? Quocirca mirum non est , si admirabilis nomen , ut initio diximus , illi quoque , quem admodum Salvatori , suo modo conveniat.

Sed quoniam , hæc omnia mirabilia exsequi , nimis longum esset , pauca quædam ex his vobis ante oculos ponam. Et quia pulcherrimum inter Deum atque servum suum certamen honoris & obedientiæ esse diximus , hoc quale fuerit , clarissima & insolita miracula , quæ in ejus gratiam Dominus edidit , explicabunt. Sunt autem qui , conciones de sanctis in eorum festis habituri , prætermisissis eorum miraculis , sola virtutum exempla commendent , ut auditores ad eorum imitationem accendant.

Est hoc quidem vehementer utile & salutare ; non tamen minor utilitas ex miraculorum narratione percipitur. Ut enim virtutum exempla nos ad sanctorum imitationem inducunt : ita miracula , in eorum gratiam a Domino edita , ad ejus nos amorem vehementer incendunt ; si in illis divinæ bonitatis , caritatis , & suavitatis erga sanctos suos viscera inspicimus ; quibus , quod sibi omnipotentis & divinitatis jure proprium est , non modo illis , sed , quod est mirabilius , eorum semicinctis & sudariolis , communicare dignatus est. Quod quid aliud fuit , quam homines quodam modo Deos facere ? Hæc igitur miracula , quo magis divinæ bonitatis magnitudinem repræsentant , hoc majores nobis ad ejus amorem igniculos præbent. Verum ego in hoc sermone non solita & consueta miracula narrabo , hoc enim operis esset propemodum infinitis ; sed ex illis quædam insolita & vere miranda commemorabo , quæ magis divinæ bonitatis & caritatis dulcedinem erga virum sanctum præ se ferant , magisque vos ad ejusdem bonitatis amorem incendant. Ab ejus igitur in dæmones im-